

eratque, quod Galli dicunt, *une vertu de parade*. Subsecuta mox inter fratres internecina odia atque dissidia hoc quam maxime comprobant.

Vt tamen facilius regiae dignitatis Almus memoriam poneret, *Hungariae ducatum* a fratre Colomano accepit; quo *tertiam regni partem sibi comparabat*, verba sunt *Bonfinii* II. 5. *Nadány* Flore Hung. pag. 86. nonnisi de quadrante regni loquitur; *Thurocius*, in vniuersum, II. 60. Colomanum fratri Ducatum *plenarie* concessisse scribit; *Ranzanus* Indic. XIII. *et nomine, et dignitate Ducis* honoratum Almum a Colomano proficitur. Fuit autem haec inter Hungaros ducum praerogatiua, diuersis temporibus, longe diuersissima; vt igitur operae meritum facturum existinem, si, quae ad hanc rem pertinent, e rerum Hungaricarum Scriptoribus huc congessero.

*Ante Regnum constitutum*, Duces Hunnorum commemorantur eo iam tempore, quo prodire e Scythia Hunni, mox Auares, (quorum duces Chagani dicti,) dein Hungari. Antiquissimorum illorum historiam, et, si dis placet, Genealogiam quoque, ab A. C. 375. vsque ad A. 528. praeclare exposuisse sibi visus est, quisquis est Auctor *Sciagraphiae historico chronologicae Successionis et Genealogiae Serenissimorum Ducum et Regum Hungariae*, VII. Tabb. *comprehensae, et succinctis dilucidationibus historicis explicatae*, quae prodiit Iaurini 1745. octonis. Non debebat hanc fabularum congeriem, cui etsi forte subest veri aliquid, vt subest fabulis paene omnibus, tamen ita est inuolutum tenebris et mendacijs apertissimis, vt eluctari non possis: hanc igitur congeriem fabularum, hac nostra aetate, non debebat recoquere bonus ille vir, sed intacta potius haec mythica Hunnorum tempora relinquere, vna cum iis, quae de Hunno-Auarum Chaganis ad A. vsque 796. memoriae prodidit. De Hungarorum primis Ducibus inde ab A. 859. est in Scriptoribus *Rer. Hungar. Schwandtneri*, Tomo I. Anonymi, *Belae regis Notarii*, *Historia Hungarica de VII. Ducibus Hungariae*, e MSCto Cod. Bibliothecae Vindobonensis edita; sed